129

testimonium huiusque non arguunt mariti
cui post vinculum coniugale hoc et ante
baptismum nihil aliud habemu
lis obici potest, qui suscipit non me
chandum ipse praedixit et non occides,
si non moechati fuerimus sed occidimus
transgressores legis sumus. Quicum
autem legem servaverit et offenderit
in uno fit omnium reus. Itaque cum oppo
suerint nobis uxorem ante baptismum
non habuisse omnia quae post baptismum
ceptaret requiremus praeter ea quae non
licet. Et obiciunt quod contrarium est.

EXPLICIT EPIS AD OCEANUM

REQ

HIERONIMUS AD RIPARIUM
PRBM CONTRA VIGILANTIUM

ACCEPTIS LITTERIS
tuis primum non res
pondere superbiae est, res
pondere temeritatis. De his enim
rebus interrogas, quas et proferre
et audire sacrilegium est. Ais Vigi
lantium, qui κατ' ἀντίφρασιν hoc vo
catur nomine, Nam dormitantius
rectius diceretur, os fetidum rursus
aperire et putorem spurcissimum
contra sanctorum martyrum proferre
reliquias. Et nos qui eas suscipimus ap
pellare cinerarios et idolatras,
qui mortuorum hominum ossa veneremur.
O infelicem hominem et omni lacri
marum fonte plangendum, qui haec dicens

non se intellegit esse samaritanum et iudaeum
qui corpora mortuorum pro inmundis
habent et vasa quae in eadem domo
fuerint pollui suspicantur, se
quentes occidentem litteram et non spiritum
vivificantem. Nos autem non dico mar
tyrum reliquias sed ne solem quidem
et lunam, non angelos, non archange
los, non seraphin, non cherubin et omne
nomen quod nominatur in praesenti saeculo
et in futuro colimus et adoramus, ne forte
serviamus creaturae potius quam
creatori qui est benedictus in saecula.
Honoramus autem reliquias martyrum,
ut eum cuius sunt martyres ad
oremus. Honoramus servos ut honor ser
vorum redundet ad dominum
qui ait: qui vos suscipit me suscipit.
Ergo Petri et Pauli reliquiae sunt
inmundae? Ergo Moysi corpuscu
lum inmundum erit, quod iuxta ebrai
cam veritatem ab ipso sepultum est
domino? Et quotienscumque apostolorum
et prophetarum et omnium martyrum
basilicas ingredimur, toties ido
lorum templa veneramur, accensi
que ante tumulos eorum cerei ido
latriae insignia sunt? Plus aliquid
dicam, quod redundet in auctoris
caput et insanum cerebrum vel
sanet aliquando vel deleat, ne tantis
sacrilegiis simplicium animae sub
vertantur. Ergo et domini corpus in
sepulchro

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0259